AUTHOR:

[HAUPT, MORIZ]

TITLE:

[DE EMENDATIONE CATALECTORUM ...]

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1859]

Master Negative #

91-80298-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

[Haupt, Moriz], 1808-1874.
[De emendatione catalectorum Vergilianorum]
Berolini, Formis academicis, [1859]
13 p. 26 cm.

Data from Engelmann's Bibliotheca scriptorum classicorum.

Title-page reads: Index lectionvm qvae avspiciis regis avgvstissimi Friderici Gvilelmi Qvarti in Vniversitate litteraria Friderica Gvilelma per semestre aestivvm a d. II. m. maii vsqve ad d. XV. m. avgvsti a. MDCCCLIX. habebvntvr.

 Another copy. 330883

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm
REDUCTION RATIO: 13 1/2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-30-91
INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

GUSTAV E. STECHERT
828 Broadway
NEW-YORK.

INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

FRIDERICI GVILELMI QVARTI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. II. M. MAII VSQVE AD D. XV. M. AVGVSTI A. MDCCCLIX.

HABEBVNTVR.

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE

FRIDERICAE GVILELMAE

RECTOR ET SENATVS.

Cum ante hos sex menses scholas quibus habendis haec iam paene exacta hiems transiit indiceremus disputavimus de versibus non nullis Callimachi finemque commentandi fecimus in epigrammate Vergilii Callimachei epigrammatis conparatione a nobis explicato atque emendato. quae emendatio cum hominum quorundam doctissimorum adsensu conprobata esset, oblata rursus eadem scribendi occasione non incommode nos usuros esse putavimus si reliqua persequeremur quae in eisdem catalectis Vergilianis aut nostra aliqua ducti coniectura aut libri quo usi sumus Bruxellensis auxilio adiuti mutavimus. etsi enim hic liber neque vetustior est saeculo duodecimo neque paucis librarii erroribus contaminatus, tamen cum antiquiorem et meliorem frustra quaesivissemus, in nullo alio libro instituendae emendationis fundamentum ponendum fuit. itaque auctoritati eius ita obtemperavimus ut siqua in mendis quibus inquinatus est vestigia veritatis adparerent insistere eis conaremur, ea autem quae nullo librarii errore corrupta esse viderentur non dubitanter reciperemus.

Sic statim primum epigramma libri illius ope emendavimus.

Delia saepe tibi venit. sed, Tucca, videre
non licet: occulitur limine clausa viri.
Delia saepe tibi, non venit adhuc mihi: namque
si occulitur, longe est tangere quod nequeas.
venerit: audivi. sed iam mihi nuntius iste
quid prodest? illi dicite quoi rediit.

Deliae nomen Iosephus Scaliger egregie restituit, cum scriptum esset utrobique *De qua*. et hoc quidem mendo ne Bruxellensis quidem liber caret: sed quod idem Scaliger *saepe* ponendum esse censuit ubi *Tucca* legebatur et *Tucca* ubi *saepe*, id libro illo non minus confirmatur quam sententiae ratione a Scaligero pulcre perspecta. hoc enim dicitur, 'saepe narras Deliam advenisse.' quintus versus in Aldinis exemplaribus ita scriptus est, *Venerit aut tibi, sed iam mihi nuntius iste,* addito in margine asterisco. postea ut numeri aliquo modo conplerentur *iam* geminatum

est frustraque deinceps homines docti poetae orationem reciperare studuerunt. quod nos dedimus sumptum est ex libro illo nostro neque quin verum sit videtur posse dubitari. denique in fine epigrammatis *quoi* scripsimus, et dativo opus esse Heynius intellexerat: legebatur *quae*, liber autem Bruxellensis *qui* habet et ante proximum verbum erasarum aliquot litterarum spatium. non paruimus autem Scaligero *dicite* in *dicito* mutandum esse existimanti: nam neque dactylicum *dicito* in hoc carmen tuto admittitur neque iure offendas in eo quod poeta non iam unum Tuccam sed dilatata oratione simul plures adloquitur.

Alterum catalectorum epigramma, intellectum fortasse a Quintiliano, non intellectum, ut videtur, ab Ausonio, hodie non tantum obscurum est sed etiam depravatum, neque operae pretium fecerunt qui in enodando aenigmate laboraverunt, nisi forte melius quam ceteris res successit Ioanni Frederico Gronovio, cuius de hoc carmine commentarium extare ex Geelii catalogo codicum manu scriptorum Leidensium p. 253 didicimus. libri Bruxellensis haec est scriptura,

Chorintiorum amator iste verborum
Iste iste rhetor namque quatenus totus
Tudichidydes tyrannus attica febris
Thau galligum et psinet male illisit
Ista omnia ista verba miscuit fratri.

In tertio carmine cum in antiquis libris haec scripta sint,

tuque nunc puella talis et tuo
stupore pressa rus abibit et mihi
ut ille versus usquequaque pertinet
gener socerque perdidistis omnia,

Scaliger sequendus est, qui *tuone* et *ei mihi* scribendum esse intellexit: sed eadem interiectio etiam antea restituenda est, EI *tuo Stupore pressa*, non quod ille voluit *heu*.

Quarti carminis versiculum nonum Burmannus ter repetita Thalassionis invocatione, quam ex iambico Vergilii epigrammate Marius Victorinus III 17 adfert, recte restituit. liber Bruxellensis pariter atque codex Vossianus et inpressa non nulla exemplaria duplex tantum *Thalassio* habent, quod Aldus omisit.

De quinto carmine, quod foeda obscenitate displicet, breviter dicemus. recipiendum erat ex libro Bruxellensi v. 10 *seu furta dicantur tua*, quo facto oratio melius cohaeret quam si retinetur *sed* quod reliqua exemplaria habent. deinde v. 15 *insuper* praebuerunt libri Bruxellensis et Vossianus. tum v. 23 *flavumque propter Thybrim* in Bruxellensi quoque libro legitur, nisi quod *hebrim* scriptum est. sed in aliis versibus coniectura utendum erat. ac primum quidem mirabamur v. 19 tam diu tolerata esse *pulcra Cotyttia*. videntur interpretes, ut saepe alias, ironiae perfugium quaesivisse. verum eiusmodi dissimulatione enervatur acerbissimi carminis protervitas, neque dubitamus quin poeta Cotyttia vero et proprio vocabulo dixerit

SPVRCA. deiende quod v. 29 legitur *salivosis aquis* plane ineptum est: poeta scripsisse potest *salivosis* LABRIS. gravius etiam corruptus est v. 21, qui in Aldinis exemplaribus sic scriptus est cum sequente, *nec dein movere lumbos in rotulam Prensis videbo altaribus*, in Bruxellensi ita, *nec deinde te movere lumbos in ratulam Prensis videbo altaribus*. Scaligero hic crocotulae aptum sane vocabulum latere visum est, sed quae praeterea molitus est probari non possunt. neque magis probandum fuit quod Oudendorpius scribendum esse coniecit placuitque Wagnero, *nec dein movere lumbos in crocotula:* incredibile est enim poetam spondeum in quartum versus pedem admisisse, neque in nuper editis exemplaribus illud retentum est consilio, sed casu et nescio qua neglegentia; volueramus enim Bruxellensem librum sequi et depravato versiculo vitii notam addere. nam probabilem carminis emendationem excogitare frustra studuimus, neque incerta comminiscimur, sed veri investigationem acutioribus ingeniis committimus.

Sexti carminis versiculos inde a quinto sex ita scribendos esse existimavimus,

non ego ture modo aut picta tua templa tabella
ornabo et puris serta feram manibus;
corniger haud aries humilis, sed maxima taurus
victima sacratos sparget honore focos,
marmoreusque tibi, dea, mille coloribus ales
in morem picta stabit Amor pharetra.

in his *haud* et *sed* Burmanno debemus: libri *hos* atque *et* habent. in proximo versu nulla causa erat cur *sparget*, quo Bruxellensis aliique scripti codices ducunt (habet enim Bruxellensis *spargit*, alii ipsum *sparget*), sperneremus et *tinget*, quod in inpressis est, retineremus. mox *dea* a Nicolao Heinsio accepimus: in libris *aut* per errorem scriptum est. sed in reliqua versus parte et Heinsius, qui *versicoloribus alis* scribendum esse coniecit, et alii alia comminiscendo falsi sunt. in Aldinis aliisque inpressis exemplaribus scriptum est *digne coloribus ales:* verum esse videtur quod Bruxellensis liber praebet *mille coloribus ales*. eadem hyperbola Vergilius usus est cum Aen. V 609 Irim dixit viam celerare *per mille coloribus arcum*.

Septimum carmen in Scaligeri catalectis ita scriptum est, non optime illud distinctum,

Ite hinc inanes rhetorum manipli,
inflata rore non Achaico verba,
et vos Sile, Albuti, Arquitique, Varroque,
scholasticorum natio madens pingui.
ite hinc inanis cymbalon iuventutis,
tuque o mearum cura Sexte curarum
vale Sabine: iam valete formosi.
nos ad beatos vela mittimus portus,
magni petentes docta dicta Scironis,

vitamque ab omni vindicabimus cura,
ite hinc Camenae vos quoque limite saevae,
dulces Camenae: nam fatebimur verum,
dulces fuistis: et tamen meas chartas
revisitote: sed pudenter, et raro.

primum versum eodem modo depravatum exhibent exemplaria ab Aldo anno MDXVII edita: anno MDXXXIIII alterum *ite* ante *manipli* additum est artificio rudi et inutili. sed Wagnerus cum in codice Helmstadiensi haec scripta esse conperisset, *Iste hinc inanes iteret horum manipulle,* verissime restituit *Ite hinc, inanes ite rhetorum ampullae,* idque confirmatur codice Bruxellensi, in quo nullum vitium est praeterquam quod scriptum est *hctorum.* in altero versu idem liber habet *inflata rhoṛso,* inpressi non nulli *inflata roso,* in Vossiano codice esse dicitur *inflata n* et deinde vacuum spatium. non possumus ex mirabili mendo quicquam elicere commodius quam quod Aldus dedit *rore:* quamquam quod Burmannus Martialem VII 69 similiter dixisse adnotavit *cuius Cecropio pectora rore madent,* non nititur certa boni libri auctoritate, sed scriptum est in plerisque *Cecropia voce,* in perbonis duobus Palatino et Arundeliano *Cecropia dote,* idque videtur esse verum. proximo versu editionem catalectorum Vergilii Venetam Burmannus habere dicit *et vos seliquit Arquitique Varroque,* Vicentinam et Brixiensem *et vos seliquir atquitique varroque.* in codice Bruxellensi haec leguntur, *et uos se liquirtar q́uque uarroque.* Aldus anno MDXVII dedit *et uos seliquati, Arquitique, Varoque,* anno MDXXXIIII *et uos Sile Albuti, Arquitique, Varroque.* verum Albucium Silum poeta postquam orationem a rhetoribus ad grammaticos sermonis et antiquitatis studiis deditos convertit commemorare non potuit. quodsi quaerimus quos Varroni comites dederit, praeter Tarquitium, cuius nomen librorum depravatione leviter obscuratum est, ultro occurrit L. Aelius Stilo. sed quod Isaacus Vossius in observationibus in Catullum p. 39 in veteri suo libro versum illum ita conceptum esse dicit, *et vos Aelique Tarquitique Varroque,* idque probat, verendum est ne libri scripturam non satis accurate memoraverit: certe refellitur numerorum lege. rectius Scaliger dixerat scribi posse *et vos Stilo Aeli, Tarquitique, Varroque.* nam quod Heynio Stilonis nomen locum habiturum esse videbatur si de priore eius syllaba constaret, poterat scire brevem esse. etenim Suetonius in grammaticis cap. 3 *L. Aelius* inquit *cognomine duplici fuit: nam et Praeconinus, quod pater eius praeconium fecerat, vocabatur, et Stilo, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat.* itaque sic carmen emendavimus, *et vos,* STILOQVE *Tarquitique Varroque.* de Tarquitio autem adferre volumus quae reperiuntur omnia. Plinius igitur librum naturalis historiae II se conscripsisse dicit auctoribus usum praeter alios *Caecina, qui de Etrusca disciplina, Tarquitio, qui item,* librum XI *Iulio Aquila, qui de Etrusca disciplina scripsit, Tarquitio, qui item.* Lactantius inst. I 10, ubi de Aesculapio dicit, haec habet, *hunc Tarquitius de illustribus viris disserens ait incertis parentibus natum, expositum et a vena-*

toribus inventum, canino lacte nutritum, Chironi traditum didicisse medicinam; fuisse autem Messenium, sed Epidauri moratum. Macrobius Sat. III 7 de ariete quem Vergilius ecl. IIII 43 vellera murice et luto mutaturum esse dixit haec adnotavit, *traditur autem in libro Etruscorum, si hoc animal insolito colore fuerit inductum, portendi imperatori rerum omnium felicitatem. est super hoc liber Tarquitii transcriptus ex ostentario Tusco. ibi reperitur 'purpureo aureove colore ovis ariesve si aspergetur, principi ordinis et generis summa cum felicitate largitatem auget, genus progeniem propagat in claritate laetioremque efficit.'* apud eundem Macrobium III 20 (II 16) haec leguntur, *Tarquitius autem Priscus in ostentario arborario sic ait, 'arbores quae inferum deorum avertentiumque in tutela sunt, eas infelices nominant, alaternum, sanguinem, filicem, ficum atram, quaeque bacam nigram nigrosque fructus ferunt, itemque acrifolium [pirum silvaticum], ruscum, rubum, sentesque, quibus portenta prodigiaque mala comburi iubere oportet:* nam Tarquitii nomen Petrus Pithoeus adversariorum subsecivorum I 20 pro librorum scriptura *Tarquinii* recte substituit. sed quod idem Pithoeus Prisci cognomen delendum esse putavit, Odofredus autem Muellerus Etruscorum t. II p. 36 confidenter dixit scribendum esse *Tarquitius Tuscus,* neutri adsentiendum est fugitque Muellerum, quod dudum adnotatum erat, Tarquitium Priscum, gentilem haud dubie scriptoris, commemorari a Tacito libro ab excessu Augusti XII 59 et XIIII 46. addimus Tarquitium Priscum in strategematis Sertoriani narratione a Frontino II 5 31 commemoratum: de quo Drumannus dixit hist. Rom. t. I p. 42 et t. IIII p. 363. pergimus ad Ammianum Marcellinum, qui libro XXV 2 Tarquitianorum librorum mentionem facit: *confestim itaque* inquit *ante lucis primitias Etrusci haruspices accersiti consultique quid astri species portenderet nova, vitandum esse cautissime responderunt nequid tunc temptaretur, ex Tarquitianis libris in titulo de rebus divinis id relatum esse monstrantes quod face in caelo visa committi proelium vel simile quicquam non oportebit.* deinde Ioannes Lydus de ostentis cap. 2 in Tageticae disciplinae enarratione usum se esse dicit, quantum ex oratione non integra intellegitur, auctoribus Τάρχοντί τε τῷ ϑυοσκόπῳ καὶ Ταρκύτῳ τῷ (τελεστῇ καὶ Κα)πίτωνι ἱερεῖ. ne hic quidem Muelleri prudentiam laudare possumus. nam cum ea quae in codice Caseolino legi non potuerunt Hasius aut vere aut ut reprehendi saltem nequeat ita supplevisset ut scriberet Ταρκύτῳ τῷ τελεστῇ, Muellerus scribendum esse pronuntiavit Ταρκυτίῳ τῷ Θύσκῳ. sed neque apte Tarquitius a Tarchonte, qui ab Etruscis segregari non potest, addito patriae nomine distinguitur neque aptius haec tria tamquam parilia coniunguntur, ϑυοσκόπος, Θύσκος, ἱερεύς. praeterea certe Θούσκῳ scribendum esset, qua nominis forma, a Stephani successoribus praetermissa, Lydus uti solet: Θύσκους non novimus. porro quod Muellerus ad eundem Tarquitium pertinere putavit lapidis inscriptionem a Grutero in thesauro p. 625, 4 editam, in qua L. quidam Tarquitius L. f. Pom. Sulpicianus Etruscus scriba quaestorius commemoratur, inutilem opinionem, quae aliis quoque ita placuit ut Tarquitio Prisco praenomen Lucii fidenter

attribuerent, prius protulerant non commemorati ab illo Valesius in commentario Ammiani et Harduinus in indice auctorum Plinii. scriptorem, cuius praenomen plane ignoramus, Plinio antiquiorem esse intelleximus: sed eundem antea commemoraverat M. Verrius Flaccus. nam cum in eis quae apud Festum libro xvi p. 274 M. de ratiti quadrantis interpretatione supersunt hae litterae *tarqui* servatae sint, recte, ut videtur, Vrsinus Tarquitii aliquam opinionem adlatam fuisse existimavit. hunc igitur Tarquitium Vergilius simul cum Aelio et Varrone totaque scholasticorum natione *inane* dixit *cymbalon iuventutis:* nam *inane* scribendum esse Heinsius vidit; codex Bruxellensis et inpressorum librorum vetustissimi *inani* habent, ex quo in Aldinis factum est *inanis*. sed dubitationem habent quae proxime secuntur, *tuque o mearum cura Sexte curarum Vale Sabine*. neque placuerunt Heinsio et Schradero, quorum ille *musarum*, Schraderus autem *chartarum* poetam scripsisse coniecerunt. contra Wagnero *cura curarum* videtur ea ratione dicta esse qua Cicero ep. ad fam. viiii 14 Agamemnonem *regem regum* adpellaverit aliique alia dixerint, de quibus Fischerum in animadv. ad gramm. Graecam Welleri ii p. 123 et Staverenum ad Cornelii Nepotis Agesilaum c. 2 disputasse addit. qui cum dicendi figuras specie inter se admodum similes sed tamen diversas non satis accurate distinxisse videantur, disserere de hoc loco volumus explanatius, sed ut cum Graeco Latinoque sermone non coniungamus utilem fortasse sed infinitam aliarum linguarum conparationem: consimilium enim schematum usus multis sermonibus communis est, veluti ex Germanicis non nulla exempla de multis attulit Iacobus Grimmius gramm. iiii p. 726. utimur autem partim copiis Spanhemii in diss. de praest. et usu nomism. viii p. 464 ss. itaque ut Cicero ita etiam Livius xxxxv 27 Agamemnonem *regem regum* dixit. tum a Seneca dicitur Ag. v. 39 *rex ille regum, ductor Agamemnon ducum*. quidni dicatur? nam, ut verbis utamur ignoti poetae qui Ovidium imitatus est, ep. viii 45, *Tantalides omnes ipsumque regebat Achillem: Hic pars militiae, dux erat ille ducum*. neque aliter explicandum est quod ab Horatio ep. i 1 107 stoicorum sapiens *rex regum* dicitur, aut quod Atreus Senecae in Thyeste v. 912 haec loquitur, *o me caelitum excelsissimum Regumque regem: vota transcendi mea*. pariter Strabo postquam libro xiii c. 7 δυναστείας Priami ditioni subiectas enumeravit deinde c. 32 repetita eorum quae illic dixerat memoria adpellat eum βασιλέα βασιλέων, id est summum regem aliisque regibus imperantem. neque alia ratione apud Aeschylum supplices puellae v. 508 H. Iovem his verbis invocant, ἄναξ ἀνάκτων, μακάρων μακάρτατε καὶ τελέων τελειότατον κράτος, ὄλβιε Ζεῦ, eundemque adsentimur Guilelmo Dindorfio Persarum choro v. 668 umbram Darii ab inferis evocanti haec tribuisse, δέσποτα δεσποτῶν, φάνηθι. nam quod Godofredus Hermannus putavit servandum esse quod libri habent δέσποτα δεσπότου, quippe quae sit formula ad orientis populorum ingenium conformata, qua augeatur res et hoc significetur, *o qui maxime et verissime dominus es*, non videtur singularis genetivi simile reperiri exemplum. non recte enim conparaveris notum illud Ἑλλάδος Ἑλλὰς Ἀθῆναι in vetere epigrammate anth. Pal. vii 45. quod cum nihil aliud sit

quam *urbs in omni Graecia Graeco nomine dignissima solaque vera Graecia et reliquae Graeciae ita praestans ut illa ceteris praestat terrae regionibus*, adparet si simili dictionis figura Aeschylum usum esse putamus, tamen δεσποτῶν plurali genetivo opus esse. sed videtur, ut diximus, δέσποτα δεσποτῶν non aliter esse intellegendum atque illa quae antea attulimus. nihilo minus non sine quadam orientis populorum imitatione Aeschylum et hic locutum esse credimus et paullo post, si dixit v. 676 non δυνάστα δυνάστα sed δυνάστα δυναστᾶν, quae Dindorfii haud sane necessaria opinio est. Persico enim orationis colore Persas loqui fecit. ita Onesicritus a Strabone xv p. 730 commemoratus in Cyri sepulcro quod Pasargadis fuit narravit esse ἐπίγραμμα Ἑλληνικὸν Περσικοῖς κεχαραγμένον γράμμασιν, "ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλήων," καὶ ἄλλο περσίζον πρὸς τὸν αὐτὸν νοῦν. eundem magniloquentiae colorem in commemorandis Aegyptiorum monumentorum titulis servat Diodorus Siculus cum l. i cap. 47 in Osymandyae statua inscriptum esse narrat βασιλεὺς βασιλέων Ὀσυμανδύας εἰμί, cap. autem 55 hanc adfert columnarum a Sesostride positarum inscriptionem, τήνδε τὴν χώραν ὅπλοις κατεστρέψατο τοῖς ἑαυτοῦ βασιλεὺς βασιλέων καὶ δεσπότης δεσποτῶν Σεσόωσις. idem illud βασιλεὺς βασιλέων legitur in numis regum Syriorum Ponticorum Armeniorum Parthicorum. possumus multa addere, sed satis, ut videtur, declaravimus his et similibus exemplis non posse defendi *curam* illam *curarum* epigrammatis. verum latius sane patet genetivi pluralis cum eodem vocabulo coniuncti usus, videndumque est ne specie sua quaedam dictionis formae fallant. nam si per se spectatur, ad idem illud de quo adhuc disputavimus dicendi genus referendum esse videtur quod Paulus dixit ep. ad Tim. i 6 15 ὁ μακάριος καὶ μόνος δυνάστης, ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων καὶ κύριος τῶν κυριευόντων et quod in apocalypsi 19, 16 legimus βασιλεὺς βασιλέων καὶ κύριος κυρίων aut illud in Maccab. ii 13 4 ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλέων. aliter videbitur si haec contuleris, Mos. v 10 17 ὁ γὰρ κύριος ὁ θεὸς ὑμῶν οὗτος, θεὸς τῶν θεῶν καὶ κύριος κυρίων, ps. 49, 1 θεὸς θεῶν κύριος ἐλάλησε. nam in his θεὸς θεῶν non potest esse deus qui ab aliis deis colitur eisque imperat, sed significat eum qui verissime deus est dictumque est Hebraici sermonis imitatione, in quo eminentissima quaeque eo modo describuntur. imitati sunt interpretes in tritis illis ἅγιον τῶν ἁγίων, ἅγια ἁγίων, ᾆσμα ᾀσμάτων. neque Aquila cum gen. 9, 26 scriberet δοῦλος δούλων ἔστω Χαναὰν παῖς, tam Graece locutus est quam Hebraice, quamquam Hebraicorum verborum illic non est eadem figura. sed locutus tamen ita est ut ne a Graecorum quidem sermone oratio prorsus abhorreat. Graeci enim poetae certe neutra adiectivorum cum eorundem adiectivorum genetivis pluralibus non numquam coniungunt. non pertinet huc, quamquam conparari vulgo solet, quod Sophocles Phil. v. 65 dixit λέγων ὅσ' ἂν θέλῃς καθ' ἡμῶν ἔσχατ' ἐσχάτων κακά: nam ultima ultimorum mala dicuntur nulla sermonis insolentia, sed iusta gradatione. verum positivorum adiectivorum cum suis genetivis ita copulatorum similis quidem est sententia, sed alia tamen explicatio. nam κακὰ κακῶν etsi dicuntur quae sunt κάκιστα, tamen non tam haec signi-

ficantur quam ea quae mala sunt inter ipsa mala atque ita eminent ut praecipue et proprie mala dicenda sint. adscripsimus huius figurae exempla quae suppetebant omnia, etsi pleraque notissima sunt. Aeschylus Pers. v. 682 *ὦ πιστὰ πιστῶν ἥλικές θ' ἥβης ἐμῆς Πέρσαι γεραιοί.* Sophocles Oed. r. v. 464 *τίς ὅντιν' ἁ θεσπιέπεια Δελφὶς εἶπε πέτρα ἄρρητ' ἀρρήτων τελέσαντα φοινίαισι χερσίν;* idem Oed. Col. v. 1237 *ἵνα πρόπαντα κακὰ κακῶν ξυνοικεῖ.* Pherecrates in Metallicis apud Meinekium com. vol. II p. 300 *τὰ δὲ μῆλ' ἐκρέματο τὰ καλὰ τῶν καλῶν ἰδεῖν ὑπὲρ κεφαλῆς, ἐξ οὐδενὸς πεφυκότα.* Diocles apud Meinekium p. 838 *πλυνεῖ τε τὰ κακὰ τῶν κακῶν ὑμᾶς.* Aristophanes Byzantius in argumento Pluti, commemoratus, a Menekio com. vol. I p. 69, *ὁμῶς ἀναβλέψαντος αὐτοῦ τῶν κακῶν οὐδεὶς ἐπλούτει, τῶν δ' ἀγαθῶν ἦν τἀγαθά.* Latino sermone similia raro dicta esse videntur. sed locutus est ita Iulius Florus II 26 (IIII 12 13), *Moesi quam feri, quam truces fuerint, quam ipsorum etiam barbari barbarorum horribile dictu est*, et maiore insolentia I 22 (II 6 35), *Sardiniam Gracchus arripuit. — saevitum in urbes urbemque urbem Caralim.* itaque similiter dixisse videri potest Vergilius *tuque o mearum cura Sexte curarum*, idque siquis praefracte defenderit, non litigabimus cum eo contumacius. sed videtur tamen nobis amor quo poeta Sextum conplexus erat non satis recte dici eminuisse inter ceteras eius curas, id est inter studia rhetorica et grammatica, quod paene ridiculum est: traducimur autem ad hanc interpretationem si *cura curarum* retinetur. quocirca *curam* in vocabulum quocum saepe a librariis confusa est mutandam scribendumque putamus *tuque o mearum* CAVSA *Sexte curarum.* certiore emendatione versus carminis undecimus restitui potest (nam v. 9 *Syronis* nomen requiri patet intellectumque dudum est: libri Bruxellensis et Vossianus *sironis* habent). quod supra scripsimus Scaliger ex Aldinis exemplaribus retinuit. ex chartaceo Vossii codice Burmannus hoc adfert, *Ite hinc camenae vos limite sene*, ex exemplaribus inpressis Vicentino Veneto Brixiensi *Ite hinc camoenae. nam nos quoque limite saevae.* haec ut emendarent homines docti multa protulerunt, sed ut omnia unius aestimemus assis. nam cum Bruxellensis liber haec praebeat, *Ite hinc camenae uos quoque iam ite sane*, quid potest esse apertius quam traiectis duabus vocibus scribendum esse ITE IAM? sed post tam longam disputationem totum carmen adscribendum est, ut sublatis maculis elegantia eius adpareat.

Ite hinc, inanes ite rhetorum ampullae,
inflata rore non Achaico verba,
et vos, Stiloque Tarquitique Varroque,
scholasticorum natio madens pingui,
ite hinc, inane cymbalon iuventutis.
tuque, o mearum causa, Sexte, curarum,
vale, Sabine; iam valete, formosi.
nos ad beatos vela mittimus portus,

magni petentes docta dicta Syronis,
vitamque ab omni vindicabimus cura.
ite hinc, camenae, vos quoque ite iam, sane
dulces camenae (nam fatebimur verum,
dulces fuistis); et tamen meas chartas
revisitote, sed pudenter et raro.

In carmine octavo v. 19 errorem exemplarium Aldinorum, quae *strigere* habent, Scaliger correxit, ignarus *strigare*, veram verbi formam, in libris inpressis antiquioribus legi. neque aliud legitur in codice Bruxellensi: verum *mulas*, quod Scaliger in *mula* nominativum mutandum esse vidit, etiam ille liber habet. pariter v. 22 confirmat quidem quod Salmasius scribendum esse intellexit *propter*, sed non *facta* habet, verum *sancta*, qui error etiam in inpressis non nullis invenitur. coniectura utendum fuit in alia carminis parte. leguntur vulgo inde a v. 8 haece,

ubi iste post Sabinus ante Quinctio
bidente dicit attondisse forcipe
comata colla, nequa sordidum iugo
premente dura vulnus ederet iuba.

hic Scaliger, ne versus claudicaret, scribendum esse coniecit *attodisse*, tueri se id posse ratus conlatis *attigo* et *pago*. in quo commento non magis morandum est quam in similibus ad quos haud ita raro quadam intemperie delatus est erroribus, neque vanae opinioni quicquam praesidii inde accedit quod ipsum illud *attodisse* in libro Bruxellensi per errorem scriptum est: dixisse poetam *attotonse* Livineius intellexit. proximum versum ut recte curaremus removendum fuit quasi splenium vulneri inpositum. qui enim primus ita scripsit, *nequa sordidum*, sive Aldus fuit sive ante eum alius, si voluit hoc esse *nequa parte*, numerorum legem neglexit, si *nequa iuba* coniunxit, pronomine usus est inutili et molesto. atqui alia olim legebantur. nam ex editione Veneta Burmannus adfert *ne quis orion*, e codice Vossiano *ne quis iorion*, in Bruxellensi scriptum est *nequid orion.* hinc non dubitavimus ita haec conformare, NEQVOD HORRIDVM *iugo Premente dura vulnus ederet iuba*, id est ne mularum iugo laesarum vulnera conglutinatis iubarum pilis horrerent et squalerent. depravationis causa manifestior fit si scriptum fuisse putamus *orridum.*

In carminibus nono atque decimo nihil mutandum erat. sed in undecimo carmine, quod nuper C. Valgio Rufo tributum est argumentis incertissimis, non nulla fuit libri Bruxellensis utilitas. nam v. 6 confirmatur ab eo *Oenides*, inventum Scaligeri et Heinsii. deinde v. 35 memorabilem inde accepimus emendationem. cum enim v. 23 s. poeta dixisset *felicem ante alias tanto scriptore puellam! Altera non fama dixerit esse prior*, et hoc deinde exemplis ita persecutus esset ut eadem orationis forma per decem versus continuata repeteret non Atalantam, non Helenam, non Cassiopeam, non Hippodamiam, non Semelen, non Danaen suam famam famae puellae a Messalla laudatae praelaturas esse, non potuit subito ita loqui,

cuius et ob raptum pulsi liquere penates
Tarquinii patrios filius atque pater.

rectissime autem in libro Bruxellensi scriptum est *Non cuius ob raptum.* accedit hoc exemplis *cuius* monosyllabi a Lachmanno in commentario Lucretiano p. 26 demonstratis. non minus recte idem liber v. 48 habet *saepe mare audendo vincere*, quo ordine verba collocanda esse Broukhusius intellexit. deinde v. 51 veram scripturam, *non celeres Afros, periurae milia gentis*, hactenus confirmat ut habeat *per ǘrię.* tum recipiendum erat quod v. 55 praebuit *non nostrum est, tantas, non, inquam, attingere laudes.* denique v. 61 ss., ubi homines docti mirifice alucinantur, adquiescere potuimus in hac scriptura,

si laudem adspirare, humilis si adire camenas,
si patrio Graios carmine adire sales
possumus:

nam haec liber ille noster suppeditavit, nisi quod *cirenas* in eo scriptum est. orationis forma ea est qua hic poeta usque ad taedium abutitur. strictim addimus v. 44, qui satis inepte ita traditus est, *tam procul hoc nato, tam procul hac patria,* vocabulum absurdum, quod in libro Bruxellensi *gnato* scriptum est, Wernickium in schedis philologicis recte mutasse videri in *Latio*, de toto autem carmine eundem temere iudicasse.

Epigramma duodecimum, quod ad Mithridatem pertinere probabilior aliorum opinionibus neque tamen omni dubitatione vacua sententia est Ruhnkenii, novi nihil ex Bruxellensi codice accepit. sed confirmatur ab eo quod v. 4 ex aliis libris dudum adsumendum erat *hic reges Asiae fregerat, hic populos:* melius est enim quam quod vulgo legitur *et populos.* deinde proximo versu scripsimus *hic grave servitium tibi iam, tibi Roma, ferebat.* Bruxellensis liber alterum *tibi* non habet: habent autem exemplaria Aldina *tibi iam tibi* conpleturque versus ita elegantius quam si *iam iam tibi* ex Vossiano codice recipimus, quod Burmanno faciendum esse videbatur. ultimi duo carminis versiculi depravati sunt,

tale deae numen, tali mortalia nutu
fallax momento temporis hora dedit:

inepte enim *dedit* defenditur. Ruhnkenius *premit* scribendum esse coniecit, verbo sane quam apto. sed ea quae praecedunt eum probavisse mirum est. nam etsi Apuleius Fortunae aliquotiens nutum tribuit, horae autem vocabulum de celeri fortunae vicissitudine et conversione dici potest, tamen inde non sequitur hic *nutu* illud tolerabile esse. scripsimus *tale deae numen, tali mortalia* RITV *Fallax momento temporis hora* RVIT: nam *ruit* propterea veri similius esse videbatur quam *premit* quod rarior significatio a librariis ignorari potuit.

Tertium decimum epigramma, quo Musa, poetae amicus, laudatur, ex codice nostro insignem emendationem accepit. leguntur in eo epigrammate vulgo haec satis absurda,

cui Venus ante alios, divi divumque sorores
cuncta neque indigno, Musa, dedere bona,
cuncta quibus gaudet Phoebus chorus ipseque Phoebi:

quasi Venus a divis divumque sororibus separari possit. praeterea Veneris nomen temere inlatum esse dudum inde colligi poterat quod in editione Veneta scriptum est *Convenit ante alios*, ex codice autem Vossiano Naekius in Catone suo p. 351 *Cui convenit ante alios* protulit, cum Burmannus eum idem quod editionem Venetam habere dixisset. sine vitio est quod Bruxellensis liber nobis praebuit, *Cui iuveni ante alios.* deinde Scaligerum secuti scripsimus *Phoebi chorus ipseque Phoebus* et versu carminis decimo Casauboni emendationem recepimus ab Heynio merito probatam, *Clio tam certe candida non loquitur:* mendosum est enim *nam*, quod etiam in Bruxellensi libro legitur.

De ultimo catalectorum epigrammate proxima scriptione satis disputavimus.